

Hinc dilemma dicitur ratio bifurcata, seu interrogatio gemina, quâ sic asserimus nostra, aut impugnamus aliena, ut quamcunque partem interrogationis eligat adversarius, causâ cadat. Sic Carneades adversus suum præceptorem Diogenem cui unam minam ob *διδασκατεον* dederat, disputabat: Aut benè, aut malè disputo. Si benè, cur pugnas? Si malè, redde minam. Hîc etiam propositio potest esse negata, verbi gratiâ, Aut erro, aut non erro. Si erro, demonstra. Si non erro, quid me damnas? Sic: Aut crimen est esse Christianum, aut non est crimen. Si est crimen, cur Deus Christianum amat? Si non est crimen, cur illum odio prosequeris? Ratio hujus est: quia licet propositio sit disjuncta, tamen illam immediatè non sequitur assumptio, sed propositio connexa. Alioqui non posset formari syllogismus, ut suprâ *cap. 8. can. 2.* docuimus.

2 *Utrumq; membrum sit verum, ut neutrum ab adversario negari vel concedi possit, quin in manifestam incidat absurditatem.*

Ratio canonis patet è dilemmatis definitione.

3 *Dilemma sit ita comparatum, ut non possit inverti ab adversario, & retorqueri in eum, qui profert.*

Pulchrum hujus retorsionis exemplum est apud *Gellium. libr. 5. Noct. Attic. cap. 10.* Summatim illud referam. Euathlus in disciplinam Protagoræ se dedit, & dimidium mercedis jam tunc statim dedit, prius quàm disceret; pepigitq; ut reliquum dimidium daret, quo primo die causam apud iudices orasset & vicisset. Sed postquam Protagoras subodoraretur Euathlum id agere, ne reliquum mercedis daret, litem cum Euathlo contestatur, & coram iudicibus sic exorsus est. Stultissime adolescens, tuum erit pecuniam dare, sive contra te, sive pro te pronunciatum fuerit. Nam si contra te sententia lata fuerit; merces mihi debebitur, quia ego vicero. Sin verò secundum te iudicatum erit, merces mihi ex pacto debebitur, quia tu viceris. Tum Euathlus: Sapientissime magister, inquit, ego non dabo quod petis, sive contra me pronunciatum fuerit, sive pro me. Nam si pro me sententia lata fuerit, nihil tibi debebo, quia ego

E e